

- Joann. Damascenum, lib. 3, *Parvul.* cap. 96.
 RICH. A. S. 67. Sicut nihil facilius cognoscimus, vel eru-
 VICTORE. descimus, quam malitiam: sic nihil difficilius
 cognoscimus, vel erubescimus, quam arrogan-
 tiam. Lib. de *Erudit. hom. interior.* cap. 28.
 68. Arrogantia oculum mentis obnubilat, vel
 excecatur, ut nec teipsum agnoscere valeat. *Ibid.*
 THEOPHY- 69. Arrogans et mentitur, et injuste agit.
 LACTUS. Mentitur, eo quod de se plusquam meretur dicit;
 injuste agit, quia alienam, et sibi non convenien-
 tem gloriam rapit. Sup. *Joan.* cap. 7, in illud:
Hic verax est.
 S. VALERIAN. 70. Quid superest illi, nisi damnationis senten-
 tia, cui arrogantia dominantur? Hom. 14, de *Bono*
humilit.
 IN VIT. PATR. 71. Arrogans et inflatus, ab Angelo provi-
 dentia derelinquitur. In Appendice *Heraclidis*,
 cap. 36.
 CICERO. 72. Omnis arrogantia odiosa est; sed illa in-
 genii, atque eloquentiae multo molestissima.
Orat. 4, pro Caelio.

ARROGARE SIBI.

- COLLECTOR. *Definitio.* Arrogare sibi est bonum quod habet,
 vel quod non habetur, ex se vel ex meritis
 suis sibi vindicare.

SENTENTIAE PATRUM.

1. Nihil sanctior plus sibi arroget, nihil sibi
 potentior plus vendicat, nihil usurpet ditior. Lib.
 2, *Offic.*, cap. 24.
 2. Mens nihil sibi arroget; quia se regere non
 potest, nisi divino favore suffulta sit. Lib. 2, de
Abraham, cap. 8.
 S. AUGUST. 3. Quis est hominum, qui suam cogitans in-
 firmitatem, audent viribus suis tribuere castita-
 tem, atque innocentiam suam? Lib. 2, *Confess.*,
 cap. 7.
 S. BERNARD. 4. Non parit sibi arrogans, qui vel sibi arro-
 gat quod est; vel mentitur de se quod non est.
Ep. 87, ad Ogerium canonice regular.
 5. Vere et absque dolo eo quisque pessimus
 est, quo optimus, si hoc ipsum quo est optimus
 adscribat sibi. Serm. 84, sup. *Cant.*
 6. Liber a culpa non est, qui alienum usurpat
 officium. In *Speculo disciplinae*, part. 1, cap. 4.
 S. DONAVENT. 7. Juste virtus humana deseritur, quando da-
 tum bonum atque perfectum non largitori Deo,
 sed propriis viribus applicatur. Sup. *Psal.* XXXII,
 vers. 16.
 S. CYRILLUS 8. Humilioris fortis homo, si plus sibi quam
 ALEX. quod est tribuat, cum risu dignus sit tum etiam
 periculosus erit obnoxius. Hom. 4, in *Festis Pas-*
chalis.
9. Nihil tibi homi tanquam tuum assignes, s. FULGENT.
 ne non accipias quod accipere poteris, et quod
 acceperas, perdas. Ep. 6, ad *Theodor.*, cap. 8.
 10. Detestabilis est qui sibi tribuit homo, quod
 Deus hominibus donat. *Ibid.*
 11. Gravis culpa est, sibi hoc hominem arro-
 gare, quod non est. Lib. 12, *Moral.*, cap. 16.
 S. GREG. MAG. 12. Cum Deo contendere est, non ei tribuere,
 sed sibi gloriam suae virtutis arrogare. Lib. 9,
Moral., cap. 2.
 13. Qui accepta dona sibi arrogat, suis contra
 Deum donis pugnat. Lib. 9, *Moral.*, cap. 2.
 14. Si post virtutum munera nulla tentatione
 animus concutitur, has se habere ex semetipso
 gloriat. Lib. 8, *Moral.*, cap. 17.
 15. Nihil suae virtuti tribuit, qui bonum quod
 a conditore habuisse se imitat, qui ad laudem
 conditoris narrat, indicans ab ipso se accepisse ut
 bonus esset, a quo accepit ut esset. Lib. 21, *Moral.*,
 cap. 13.
 16. Sancti viri robur suum non deputant, quia
 quantolibet ingenio fulgeant, nihil se esse ex suis
 viribus pensant. Lib. 22, *Moral.*, cap. 2.
 17. In tantum proficis, in quantum non stu-
 dueris derogando fratribus tibi arrogare. Lib. 4,
 in *Registro*, indic. 13, cap. 82, ep. 88, ad *Joan.*
episcop.
 S. HIERON. 18. Quicumque tribuit sibi bonum quod facit,
 etiam si nihil videtur mali manibus operari, cor-
 dis innocentiam perdit. Sup. *Prov.*, cap. 16.
 HUGO CARD. 19. Ne innitaris prudentiae tuae; nec tibi, sed
 gratiae Dei adscribe, si quid sis; si quid boni faci-
 sis. Sup. *Genes.*, cap. 2.
 20. Deo omnia adscribas, non tibi: vult enim
 Dominus gloriam sibi, et homini utilitatem. Sup.
Deut., cap. 26.
 21. Deum negat, qui ab eo non recognoscit
 quidquid habet boni, sed sibi arrogat. Sup. *Job*,
 cap. 31.
 22. Qui sapientiam sibi praeter ceteris arrogat,
 graviter peccat. *Ibid.*, cap. 32.
 23. Sicut gravis culpa est homini, sibi arro-
 gare quod non est: sic culpa nulla est, si hu-
 militer dicat quod bonum est. Sup. *Isaiam*,
 cap. 38.
 24. Impudentissime tibi arrogas gloriam sine
 victoria, aut victoriam sine pugna. Sup. *Ep. ad*
Hebr., cap. 10.
 S. JOHANNES 25. Nihil de parentum nobilitate quidquam
 CHRYSOST. nobis arrogemus, nisi probam eorum vitam se-
 quamur. Hom. 43, sup. *Math.*
 26. Qui sibi nihil arrogat, is vere humilis est.
Ibid. Hom. 66.
 27. Non poterit quisquam sibi vindicare, quod
 Dei est, licet Deus, quod suum est, homini dig-

- netur adscribere. Hom. 2, in *dictum Joan.*, 15:
Vos amici mei estis.
 S. ISIDORUS 28. Circumspice temetipsum homo, nihilque
 HISPAL. tibi arroges de his, quae in te sunt, praeter pec-
 catum. Lib. 3, de *Sum. bono*, cap. 23.
 S. JUSTINUS 29. Prudentiam nobis solis tribuere, et quasi
 MART. vindicare non debemus. Ep. ad *Zenam*.
 S. LAURENT. 30. Quamvis sceleris arbitrandus est reus, qua-
 JUSTIN. live animadversione equissime feriendus, qui di-
 vinum furari praesumat honorem; et quod solius
 est Dei, sibi ipsi nequiter vindicare conatur?
 Part. 2, de *Regimine praelat.*, cap. 12.
 31. Qui virtute est praeditus nescit quod Dei
 est, sibi inaniter arrogare. Part. 2, de *Humilit.*,
 cap. 12.
 LUD. BLOSS. 32. Totum Deo tribue, quod bonum et laude
 dignum est, nihil tibi. In canone *Vitae spirit.*,
 cap. 8.
 33. Cum nihil in te sit proprie tuum, nisi
 peccatum, tu quidquid boni habes et agis, at-
 tribue Dei misericordiae ac benignitati, et ne
 pilum quidem ex his donis Dei tibi assumas.
Prosecc.
 34. Quod si quidpiam ex donis Dei tibi ad-
 scripseris, usurpaverisque, latet in te grandis su-
 perbia.
 35. Odio tibi sit haec pestis perniciosissima, ut
 non solum non adscribas tibi aliquid boni, verum
 etiam malorum omnium, quae in mundo fiunt,
 potius in te culpam retorqueas. In *Speculo spiri-*
tuali, cap. 8.
 PETRUS 36. Si noveris te esse, qualem laus aliena de-
 BLESENS. pingit, non tibi, sed Deo adscribe. Ep. 132, ad
quemdam Abbat.
 37. Omnia spiritualia exercitii lucra referas ad
 illius gloriam, qui est Rex gloriae; non tibi arro-
 ges. *Prosecc.*
 38. Fur enim et latro es, si tibi aliquid inde
 usurpare praesumas; illic unde flumina exeunt,
 revertantur. *Ibid.* tract. de *Instit. epis.*
 S. PETRUS 39. Christus quidquid suarum virtutum est,
 CHRYSOL. refert ad gloriam Patris; et homo, cujus suum
 nihil est, sibi vindicare laborat. Serm. 113.
 40. Nemo arrogat potentiae suae quod non dat
 nisi Deus. *Ibid.*, serm. 115.
 S. PETR. DAM. 41. Nullum inexorabilis persequitur multitu-
 do, quam illum qui sibi multitudinis arrogat
 principatum. Serm. 59, de *S. Nicolao*.
 PETRUS MAUR. 42. Nihil fastus, nihil dominium, nihil majes-
 T. CLUNIAE. tas; sed totum sibi hominem aequitas, totum hu-
 militas, totum ratio vindicat. Lib. 6, Ep. 46, ad
S. Bernard.
 S. PROSPER. 43. Qui omnia, quae bene facit, suis viribus
 adscribit, nihil ei proderit quidquid boni facit.
 Lib. 3, de *Vita contemplat.* cap. 1.
44. Si quis est, qui aliqua se habere existimat
 bona, quorum non Deus largitor sit, sed ipse sibi
 auctor existat, manifestum est non Dei spiritum
 habere, sed mundi. *Ibid.* Ep. ad *Demetriadem*.
 45. Nihil sibi arrogandum; cum enim in ho-
 nis, et rectis actibus laudabilis vita ducitur, Dei
 est quod geritur, Dei est quod amatur. *Ibid.*
 46. Suum constituere meritum, ubi divinum
 cessarit auxilium, haec superbia est, omni peccato
 nocentior, omni genere elationis insanior. *Ibid.*
 47. Apud se prudens est, et non apud Deum, s. REMIGIUS.
 qui sapientiam quam habet, non auctori omnis
 sapientiae deputat, sed sibi suisque meritis et stu-
 diis. Sup. Ep. ad *Rom.* cap. 12.
 48. Dona Dei suis meritis adscribere, quid tam
 impium? Part. 2, sup. *Psal.* xxv. RICH. A. SANC-
 TO VICTORE.
 49. Maxima accusatrix hominum est usurpa-
 trix innocentiae arrogantia. Lib. 4, de *Gubernat.*
 SALVIANUS.
 50. Sicut optimi cupiunt virtutum universa-
 rum culmen ascendere: sic pessimi optant, pal-
 mas sibi universorum scelerum vindicare. *Ibid.*
 lib. 6.
 51. Nullus debet sibi arrogare, quod Dei est. S. THOMAS
 Secunda secundae quest. 66, art. 1. AQUINAS.
 52. Ingratus est, qui sibi attribuit quod ab alio
 habet. *Ibid.* quest. 162, art. 4.
 53. Cum aliquis ex sua injusta voluntate sibi
 attribuit plusquam sibi debeatur, justum est ut
 diminuat etiam quantum ad id, quod sibi de-
 bebatur. Part. 3, quest. 40, art. 6.
 54. Nihil tibi de bono adscribere debes, nec ali-
 cui homini virtutum attribuas, sed totum da Deo.
 sine quo nihil habet homo. Lib. 3, de *Imit.*
Cristi, cap. 9, sect. 2. THOMAS
 A KEMPIS.
 55. Nemo quidquam sibi arroget, sed de Dei
 bonitate sibi porrigi omnia confiteatur. *De fidei*
dispensat. cap. 3, § 5.
 56. In quo religiosae fidei labore profeceris, s. VALERIAN.
 auctori tuae libertatis assignes, non tibi. Hom. 3,
 de *Arca vita*.
 57. Nemo sapiens Dei beneficia suis virtutibus
 aestimet applicanda. *Ibid.* Hom. 7, de *Misericor-*
dia.
 58. Stultitiae genus est, ut homo suum esse ju-
 dicet quod laboravit, qui in alterius potestate
 consistit. *Ibid.* Hom. 11.
 59. Stultitiae genus est, ut cum alii debeas vitam
 beneficium, tibi adscribas ornamenta virtutum.
Ibid.
 60. Cavendum est, ne quando quod ad gloriam
 boni operis pertinet, nostris virtutibus adscriba-
 mus. *Ibid.*
 61. Totum perdidit quod laboravit, qui prop-
 teris virtutibus fructum sanctitatis adscripsit.
Ibid.

SENTENTIA PAGANORUM.

ARISTOTELES. 62. Plura quam adsint, sibi arrogare, jactantiam est: minus vero, dissimulationis: inter haec igitur medium est veritas. Lib. 1. *Magnor. Moral.*, cap. 7.

SENECA. 63. Non tibi adscribas, quod non eris, nec quod es: nec major quam es, videri velis. *De quatuor virtutib.*

SIXTUS PHIL. 64. Qui electus Dei est, facit quidem omnia secundum Deum; fuisse autem seipsum non jactat. Sent. 413.

ARS.

S. AUGUST. *Etyologia.* Ars ipsa, virtus a veteribus definita est: unde ab eo quod graeco *εργον*, dicitur virtus, nomen artis Latinis traduxisse putaverunt. Lib. 3. *de Civ. Dei*, cap. 24.

HUGO A SANC-
TO VICTORE. *Definitio.* Ars est scientia, quae praecipue regulis consistit. Lib. 2. *Didasc.*, cap. 1.

Ars mechanica, id est adulterina, est scientia ad quam fabricae omnium rerum concurrere debent. *Ibid.*

S. CLEM. ALEX. Ars sophistica est potestas phantastica, seu quae visione percipitur, verbis falsas opiniones, tanquam veras ingenerans. Lib. 1. *Stromat.*

S. THOMAS
AQUINAS. Ars nihil aliud est quam ratio recta aliquorum operum faciendorum. 1. 2. *quest.* 57, art. 3.

VEL.

HUGO A S.
VICTORE. Ars est recta ratio facultatum. *Ibid.* q. 58, a. 2. *Divisio.* Ars mechanica septem scientias continet: lanificium, armaturam, navigationem, agriculturam, venationem, medicinam, theatricam. Lib. 2. *Didasc.* cap. 21.

S. THOMAS
AQUINAS. Quatuor sunt artes, homines in assidua penuria nutriendes: grammatica, dialectica, arithmetica, geometrica. *Prosec.*

Prima artium est praeceptum, sed sensus claudil ostium.

Secunda verum a falso instruit, sive discernit, sed in persona est ridiculum.

Tertia docet numerum, sed numerorum nescit computum.

Quarta mensuram terrae variat, sed nummis privata exultat. *Opus. de Scientiis utilioribus.*

SENECA. Quatuor sunt artium genera: sunt vulgares et sordidae, sunt ludicae, sunt pueriles, sunt liberales. *Prosec.*

Vulgares sunt opificum, quae manu constant, et ad instruendam vitam occupatae sunt; in quibus nulla decoris, nulla honesti simulatio est.

Ludicae sunt quae ad voluptatem oculorum atque aurium tendunt.

Pueriles sunt, et aliquid habentes liberalibus

simile, quas *δωδεκα*: Graeci nostri liberales vocant.

Sola autem liberales sunt, imo (ut dicam verius) liberae, cujus cura victus est. Epist. 88.

SENTENTIA PATRUM.

1. Ars matheseos evitanda et fugienda est; haec enim astutia et subtilitas inventi diaboli. *De Quaes. veter. et novi Testamenti*, quaest. 113.

2. Usuum artium liberalium assequi difficillimum est, nisi ei qui ab ipsa pueritia ingeniosissimus instantissime atque constantissime operam dederit. Lib. 2, de Ord. cap. 16.

3. Tria sunt, quae in unoquoque homine artifice spectantur, ut aliquid efficiat: natura, doctrina, usus; natura ingenio, doctrina scientia, usus fructu dijudicandus est. Lib. 11, *de Civ. Dei*, cap. 25.

4. Omnes artifices mali Deum non timentes, pro lucro, vel pro timore damni aut egestatis, mentiuntur et perjurant. *Sup. Psalm. lxx*, vers. 17.

5. Non fugienda est omnino ars, neque in ipsa omnes spes ponere consentaneum est. *Quaes. 55.*

6. Artium studia una cum hoc tempore finiuntur. Epist. 42, *ad Maxim. philosoph.*

7. Sanitatis choragus et princeps est ars medicina. *Ibid.* Epist. 80, *ad Eustathium medic.*

8. Qui callet ingenio qui viget arte, qui praeminet intellectu, instrumenta sunt haec ei tam vitiorum, quam virtutum. *Prois.*

9. Ingenium corpus adaptat, ars naturam informat, intellectus animum facit docibilem. *De vita solitaria. ad frat. de Monte Dei.*

10. Omnis ars hujus seculi strenuus habet amatores, et ad exequendum promptissimos; quare? quia praesentem habet remunerationem. *Prois.*

11. Ars vero divini timoris multos habet sectatores tepidos, languidos, et pigritiae inertia congelatos; sed hoc fit, quia merces laboris eorum non in praesenti vita, sed in futura dabitur. *Serm. 6, ad sororem, et Isidor. Lib. 2, de sum. bono*, cap. 9.

12. Astrologia est magnum religiosorum argumentum, tormentumque curiosus. Lib. 3. *Pharetrae*, cap. 32.

13. Omnis ars mechanica aut est solatiium, aut est ad commodum. *De reductione artium ad Theolog.*

14. Non facile de artibus recte judicat, qui artes ignorat. In *Praefat. ad Cornelium Papam, de Cardinalibus operibus Christi*, cap. 2.

15. Ars artium est vivere Deo, et compendiose proficere. *De Profes. monast.* art. 20.

16. Quilibet catholicus, cum artem (quam pro

S. AUGUSTIN.

S. GREGORIUS
MAGNUS.S. BASILICUS
MAGNUS.

S. BERNARD.

S. GREGOR.
NYSS.

S. HIERONYM.

S. BONAVEN.

HUGO A S.
VICTORE.

JOAN. CASS.

DIONYSIUS
CARTHUS
GLOSS. ORD.

communi utilitate didicit) superbia, cenodoxia, philargyria, vel cujuslibet vitii contagione polluit, suo se gladio confodit; qua quo, defendi ab hoste debuit, in ipsum irruit. *Sup. 1 Paralipp.* cap. 10.

17. Licet ars imitetur naturam, opera tamen artis non assequuntur perfectionem operum naturae. *Sup. Math.* cap. 6.

18. Quae sine his agi possunt vitia hominis sunt, non artis: sicut et in omnibus artibus male agitur, non ex eis, sed ex hominibus, ars enim nescit vitium. *Sup. illud Psalm. lxx: Quoniam non cognovi litteraturam.*

19. Subtilissima ars vivendi est: calmen tenere, gloriam premere, se esse nescire. *Lib. 26. Moral.* cap. 19.

20. Nulla ars doceri praesumitur, nisi intenta prius meditatione discatur. *Part. 1. Pastor.* cap. 1.

21. Ars artium est regimen animarum. *Ibid.*

22. Ars, et mira disciplinae scientia, est toto cordis aditus addiscenda. *Hom. 19, sup. Ezech.*

23. Ad hoc tantum liberales artes discende sunt, ut per instructionem illarum divina eloquia subtilius intelligantur. *Lib. 5, in 1 Reg.* cap. 3.

24. Habens artem qua regitur, magnoque studeat, ut usum atque utilitatem illius cum proximo partiar. *Hom. 9, sup. Evang.* in illud *Matth.* 23: *Omni habenti dabitur.*

25. Indita est naturae divina quaedam ars, quae res conditas, quasi nexu quodam stabilitas perpetuaret, duplicique vi cuncta moderaretur. *De hominis officio*, cap. 1.

26. Sonectus eorum, qui adolescentiam suam honestis artibus instruxerunt, aetate fit doctior, usu tritor, processu temporis sapientior, et veterum studiorum dulcissimos fructus metit. *Ep. ad Neapolitan.*

27. Nulla ars absque magistro discitur. *Ep. 4, ad Rusticum.*

28. Felices essent artes, si de illis soli artifices judicarent. *In Isaiam*, lib. 16.

29. Naturale est, ut omnes artifices suae artis loquantur exemplis; et unusquisque, in quo studio trivit aetatem, illius similitudinem probat. *Sup. Amos*, lib. 1, cap. 1.

30. Non invenitur inter ceteras artes liberales ars ista praeter aliis liberalis, qua teneatur cor, quod omni mobili mobilius, quod omni lubrico lubricius est. *Lib. 3, de Anima*, cap. 13.

31. In omni arte praecedit quidam scopus, quem nisi qui omni studio, perseverantique servaverit, nec ad finem desiderati fructus poterit pervenire. *Collat. 1. Abbat. Moyses*, cap. 4.

32. Miserum est cujuslibet artis disciplinam quempiam profiteri, et ad perfectionem ejus mi-

nime pervenire. *Collat. 19. Abbat. Joannis*, cap. 5.

33. Ars quaedam liberalis est misericordia; quid hac arte utilius, atque praestantius? haec post hanc vitam maxime fulget, in coelis habet officinam, et non hominem, sed Deum magistrum possidet. *Homil. 53, sup. Math.*

34. Neminem artis suae pudeat, sed eos tantum qui otiosam vitam agunt. *Hom. 8, sup. Epist. 1, ad Cor. in Moral.*

35. Qui in qualibet arte occupatur, non facile quidquam superfluum, neque verbum, neque re, nec cogitationibus suscipiet. *Ibid.*

36. Artis est proprium ad aliquam utilitatem pervenire. *Hom. 33, ad Popul. Antioch.*

37. Quanto amplius ad quamlibet artem homo s. ISIDOR. ISP descendit, tanto magis ad hominem ars ipsa descendit. *Lib. 3, de Summo bono*, cap. 8.

38. Nulla ars est, quae non scientia constet. *LACT. FIRM. Lib. 3, de Falsa sapient.*, cap. 5.

39. Artes discuntur, ut exerceantur; exercentur autem, vel ad subsidia vitae, vel ad gloriam. *Ibid.* cap. 8.

40. Nulla ars sine tempore discitur, et sine praecipere; ars artium sola sine magistro percipitur. *In Libro Ascetico.*

41. Cuncta qua natura generat, vel producit, pietas nutrit, industria excolit, ars decorat. *Serm. 132.*

42. Ars omnipotentis artificis, et lex omnium artium veritas est. *Sent. 386.*

43. Natura comparatum est, ut in omnibus artibus, hoc sit scientiae pretiosior pompa, quo rarior. *Lib. 2, Ep. 10, ad Hesperiam.*

44. Nulla ars non alterius artis aut mater, aut propinqua est, nihil alterius vacat; tot sunt artium vene, quot hominum concupiscentiae. *De Idololatr.* cap. 8.

45. Ars cujus operibus homines possunt bene et male uti est licita. *Secunda secund. quest.* 169, art. 2.

SENTENTIA PAGANORUM.

46. Ars imitatur naturam in quantum potest. 2. *ARISTOTEL. Phys.*

47. Ars supplet defectum naturae. 7. *Politico.*

48. Finis utilis in arte est cognitio. 1. *Ethic.*

49. Opus suum diligit unusquisque artifex. 9. *Ethic.*, cap. 8.

50. Vitiosum est artem vituperare propter ejus vitia. *Lib. 2, de Arte Rhet. ad Herennium.*

51. Imitetur ars naturam, et quod ea desiderat, inveniat; quod ostendit, sequatur. *Ibid.*, lib. 3.

52. In omni disciplina infirma est artis perceptio sine summa assiduitate exercitationis. *Ibid.*

53. Duae sunt artes, quae possunt locare homi-

S. JOANNES
CHRYSOST.

S. ISIDOR. ISP

LACT. FIRM.

S. NILUS.

S. PETRUS
CHRYSOLOG.

S. PROSPER.

S. SIDONIUS.

TERTULLIAN.

S. THOMAS
AQUINAS.

SENTENTIA PAGANORUM.

ARISTOTEL.

CICERO.

nes in amplissimo gradu dignitatis : una imperatoris, altera oratoris boni. Orat. 23 *pro Muræna*.

54. Omnes artes, quæ ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, et quasi cognatione quadam inter se continentur. *Ibid.* Orat. 26. *pro Archia poeta*.

55. Nulla ars sine interprete, et sine aliqua exereitatione percipi potest. Lib. 7. Ep. 19. *ad Trebat*.

56. Ars est philosophia vite. Lib. 3. *de Finibus*.

57. Dux sunt artes, quibus perfecte ratio et oratio compleatur : una inveniendi, altera disse- rendi. *Ibid.* lib. 4.

58. Ars est dux certior, quam natura. *Ibid.*

59. Quam quisque norit artem, in hac se exer- ceat. Lib. 1. *Tusc. quæst.*

60. Honos alit artes. *Ibid.*

PLATO.

61. De omnibus artibus hunc in modum con- stituendum est : ut quæ una quadam arte co- gnoscimus, altera minime cognoscamus. *Syzygia* 4. in *Ilade*.

62. Ad hoc nata est, atque instituta ars, ut quod unicuique commodum estatque utile inves- tigeat, atque suppediet. Lib. 1. *de Republ.*

63. Unaquæque ars nullam aliam quampiam utilitatem habet propositam, quam ut maxime sit absoluta, et omnibus suis numeris perfecta. *Ibid.*

64. Nulla ars sibi, sed ei conducit cuius ipsa est ars. *Ibid.*

SENECA.

65. Non est ars, quæ ad affectum casu venit, sed vera ars, est sapientia. Epist. 29.

66. Omnis ars imitatio est naturæ. Epist. 63.

67. Meritoria artificia sunt et utilia, si præparant ingenium, non detinent. *Prox.*

68. Grammaticus circa curam sermonis versatur, circa historias, circa etiam carmina.

69. Quid horum ad virtutem viam sternit? quid ex his metum demit, cupiditatem eximit, li- bidinem frænât?

70. Ad Geometriam transeamus, et ad Musicam; nihil apud illas invenies, quod vetet timere, ve- tet cupere, que quisquis ignorat, alia frustra scit.

71. Videndum est utrum doceant isti virtutem, an non; si non docent, ne tradunt quidem; si docent, philosophi sunt.

72. Musica docet me, quomodo inter se acuta ac graves consonent voces : quomodo nervorum disparum reddentium sonum fiat concordia.

73. Doce me quid sit pudicitia, et quantum ex ea bonum in corpore, et in animo positum sit.

74. Fac potius quomodo animus secum meus consonet, nec consilia mea discrepent.

75. Monstra mihi, qui sint modi flebiles; mon- stra potius quomodo in adversis non emittam flebilem vocem.

76. Metri me Geometres docet latifundia, potius doceat quomodo metiar quantum homini sit satis.

77. Numerare me docet Arithmetica, et avaritiæ commodare digitos; potius doceat nihil ad rem pertinere istas computationes; non esse felicio- rem, si quantum habeat, per se computare cogatur.

78. Quid mihi prodest scire agellam in partes dividere, si nescio cum fratre dividere?

79. Quid prodest colligere subillier pedes jugeri, si tristem me facit vicinus potens, et ali- quid ex meo abradens?

80. Doce me quomodo nihil perdam ex fini- bus meis, at ego discere volo, quomodo totum hi- laris amittam.

81. O egregiam artem! seis rotunda metri, in quadratum redigis quamcumque acceperis for- mam; intervalla siderum dieis, nihil est quod in mensuram tuam non cadat.

82. Si artifex es, metire hominis animum; dic quam magnus sit, die quam pusillus sit.

83. Seis quæ recta sit linea; quid tibi prodest, si quid in vita rectum sit ignoras?

84. Ad illam artem transeamus, qua majores nostri juventutem exereuerunt; hastilia jacere, sudem torquere, equum agitare, arma tractare.

85. Sed nec hæc, nec illæ docent, aluntve virtu- tem.

86. Quid enim prodest equum regere, et cur- sum ejus fræno temperare, et affectibus effræna- tissimis abstrahi?

87. Quid prodest multos vincere luctatione, vel cæstu, et ab iracundia vinci?

88. Hæc viles ex professo artes, quæ manu constant, ad instrumenta vite plurimum conferunt, ad terrena multum, ad virtutum nihil.

89. Liberales enim artes non perducunt ani- mum ad virtutem, sed expediunt, sed percipiendi locum parant. Epist. 88.

90. Non est ars sui juris, cui precarium funda- mentum est. *Ibid.*

91. Mathematica superficialia ars est, in alieno ædificat, aliena accipit principia, quorum benefi- cio ad ulteriora perveniat. *Ibid.*

92. Geometri quidquid in aliorum artibus sup- pervacuum erat, translulere in suam; sic effectum est, ut diligentius sciant loqui, quam vivere. *Ibid.*

93. Non dat natura virtutem; ars est bonum fieri. Ep. 30.

94. Artium peccata, artificibus pudori sunt, of- fenduntque. Ep. 97.

95. Laus alit artes, non laudatio, quæ corrup- tit artes. Ep. 102.

ASCENDERE IN GENERE.

S. AUGUSTIN.

Divisio. Tres sunt ascensus : in primo, ascen- dimus ab istis exterioribus et inferioribus ad nos.

In secundo, ascendimus ad eor altum.

In tertio, ascendimus ad Deum. *Prosec.*

Primus ascensus fit consideratione mundi, et contemplu.

Secundus fit cognitione, et contemptu nostri.

Tertius fit cognitione et amore Dei.

Quanto amplius proficimus, tanto amplius ascen- dimus; qui enim non ascendit, descendit; et qui non proficit, deficit. *De Spiritu et Anim.*, cap. 32.

S. BERNARD.

Quatuor gradus assensionis sunt: primus, ad eor; secundus, in corde; tertius de corde; quartus, supra cor. *Prosec.*

In primo, timetur Dominus; in secundo, audi- tur consiliarius; in tertio, desideratur sponsus; in quarto videtur Deus. *Serm.* 4.

HUGO CARD.

Triplex est gravitas ascensus. Grave est ascen- dere; gravius est, quando ascensus est lubricus, sive arenosus; gravissimum est, quando ascen- sor est debilis, et infirmus. *Sup. Ecclesiastic.*, cap. 23.

Tres sunt ascensiones : Prima, est incipientium.

Secunda, progredientium.

Tertia, pervenientium. *Sup. Ecclesiasten.*

S. BERNARD.

Comparatio. Sicut nemo repente fit summus, sed gradatim quisque ascendit: sic nemo repente fit pessimus, sed paulatim descendit; via est enim descensionis sicut et ascensionis. *De duodecim gradib. humilit.*, cap. *Intercuet.*

Sicut volatilia donec altum aërem secant, non facile capiuntur; ita tu donec ad superiora ascen- dendo respexeris, nec laqueo, nec ullis fa- cile capieris insidiis. *Homil.* 15, *ad populum An- tiochen.*

SENTENTIÆ PATRUM.

AMBROSIVS.

1. Ascendens, directum attolle grandum; nul- lus inde tuto redit; hinc via, inde ruina est; hinc ascensus, inde periculum *Prox.*

2. Ascendendi quidem labor, sed descendendi periculum. Lib. 3. Ep. 11, *ad Irenæum*.

3. Nescit summum, qui Christum ignorat; in inferno semper est, qui non ascendit ad Chris- tum. *De Tob.*, cap. 19.

4. Ille vere ascendit, qui propria peccata de- ponit. *Sup. Psalm.* cxvii, vers. 3. *Serm.* 16.

ANTONIUS DE PADUA.

5. Qui vult ascendere, ipsum prius descendere necesse est. *Serm.* *Dom.* 4, *post Epiph.*

AUGUSTIN.

6. Tanto gloriosius mens ad superiora pro- p-

movetur, quanto diligentius ab inferioribus concupiscentia cohibetur. *De opere Monach.*, cap. 32.

7. Quis tam bestius, qui in corde suo semper ascendat? Lib. 4, *contra duas Epistolas Pelag.*, cap. 11.

8. Cum cœperit homo ascendere, in ipso exor- dio ascensionis linguas dolosas patitur, blan- das ad perniciam, blandas ad malam suasionem. *Prosec.*

9. Dicunt enim, quid facis? quare hoc facis? servire aliter Deo non potes? sic blanditur ascen- denti lingua dolosa.

10. Si ascendere perseveraveris, vincitur lingua dolosa, et blandiens incipit esse aperte sevens; et quæ blandiebatur ut seduceret, minatur ut terreat. *Sup. Psalm.* cxxii, in *Expos.*, vers. 2. *Cum irasceretur*, etc.

11. Cum ab inferioribus ad superiora volumus ascendere, prius accirrit nobis sensus, deinde imaginatio, postea ratio, intellectus et intelligen- tia, et in summo est sapientia, quæ Deus est. *De Spiritu et Anima*, cap. 11.

12. Quia bona exteriora diu stare non possunt, iustus est homo ab exterioribus ad interiora re- dire, et ab interioribus ad superiora ascendere. *Ibid.*, cap. 14.

13. Redeamus ad nos, ut possimus ascendere ad nos. *Ibid.*, cap. 32.

14. Anima quæ amat, ascendit semper. In *Manuali*, cap. 24.

15. Ascendentibus sursum versus, primus ac- tus dicitur animatio; secundus, sensus; tertius, ars; quartus, virtus; quintus, tranquillitas; sextus, ingressio; septimus, contemplatio. *Prox.*

16. Primus, de corpore, secundus per corpus, tertius circa corpus, quartus ad animam, quintus in anima, sextus ad Deum, septimus apud Deum. *De Quanti Anima*, cap. 35.

17. Viscus quidam pravi desiderii et delecta- tionis terrene volare non patitur mentem, et citius retrahit, si forte aliquando sublevetur. *Serm.* 2, in *Vigilia Nativ.*

18. O perversitas! o abusio filiorum Adam, quia cum ascendere difficillimum sit, descendere autem facillimum, ipsi et leviter ascendunt, et difficiliter descendunt; parati ad honores, et cel- situdines graduum ecclesiasticorum, ipsis etiam Angelicis humeris formidandos. *Serm.* 2. *Ascens.*

19. Ascendimus velut duobus pedibus, medi- tatione et oratione: meditatio siquidem quid de- sit docet, oratio ne desit obtinet. *Serm.* 1, *de S. Andra.*

20. Curramus sursum, non passibus corporis, sed affectibus, sed desiderii, sed suspiriis. In *Meditat.*, cap. 6.

S. BERNARD.

21. Non deficias, neque tepeas, ut gradum perfectionis possis ascendere, ad quem non nisi multis laboribus pervenitur. *Pros.*
22. Euge, euge, frater bone, initia transcendere, et ad superiora tende.
23. De radice enim ad cacumen, festinanti liber palei ingressus. *De ordine vitæ.*
24. Contemplativi alii ascendunt, et currunt; alii rapiuntur, et descendunt. In *Sentenâis*, verbo *Contemplativi*.
25. Tanto altius se quisque noverit in virtutum gradibus ascendisse, quanto minus colloquii humanis delectatur. In 2, volum. *de Passione*, cap. 27.
26. Ascensus profecto arduus est, et cassus conatus absque Dei adjutorio. Lib. in *floribus*, cap. 21.
27. Per humilitatem ad sublimitatem ascendere, hæc est via, et non est alia præter ipsam; qui aliter vadit, cadit potius quam ascendit. *Serm. 2. de Ascensione.*
28. Ascendere non potes, nisi descenderis. *Ibid.*
29. Nemo repente fit summus: ascendendo, non volando apprehenditur summus scalæ. *Serm. 1. de S. Andrea.*
30. Si quis ad supremum exercitii spiritualis gradum pervenerit, aliquid ei de primis gradibus imperfectione relinquatur, ut vix sibi primam videatur adeptus. In primo volumine *de Quatuor modis orandi*.
31. Aut ascendas necesse est, aut descendas; si attentas stare, ruas necesse est. Ep. 94, *ad Abbat. Suesione congregatos.*
32. Rarissima avis in terris est, qui de gradu, quem forte in religione semel attigerit, vel parum ascendat. Epist. 96. *ad Richard. Fontanensem.*
33. Cum ratio proficiendo in amorem, sursum ascendit, amanti et desideranti gratia condescendit. *De vita solitaria. ad fratres.*
34. Timendum est ascendentibus superbis; si enim in monte cæli stare non potuit Angelus superbus, quomodo ascendere potest homo superbus? *Ser. 3. Dom. 3. Quadrage.*
35. Quantum ascenderunt mali per ambitionem in mundo, tantum descendunt per damnationem in inferno. *Serm. 4. de Ascens.*
36. Paulatim ascendes, sed non paulatim descendes. *Ibid.*
37. Tanto in materialibus ascensus est altior, quanto id quod ascendit fuerit levius et purius: sic et in spiritualibus, tanto ascensus est altior, quanto quod ascendit, a terrena cupiditate est purius, et virtute gratiæ plenius. *Serm. 4. Dom. 4. post Pentecost.*
38. Ascendere debet homo: ad veritatem, per contemplationem; ad virtutem, per conversationem; ad dignitatem, per vocationem; ad immortalitatem, per resurrectionem. *Ibid. Ser. 2. Dom. 16.*
39. Heu! quam multi non ascensionem ad cælum, sed descensionem in infernum disponent; de vitio in vitium descendentes usque ad profundum inferni! *Ibid.*
40. Heu! multo jam plures demones quam Angeli scalam prælationis ascendunt. *Ibid. sup. illud Genes. 28. Scalam vidit Jacob.*
41. Per humilitatem ad sublimitatem ascenditur, nec est alia via præter ipsam: ergo descende, ut ascendas; humiliare, ut exalteris. *Serm. 2. Omnium Sanctorum.*
42. Ascendere ad dignitates non est aliud quam sibi præcipitulum præparare; et tanto magis, quanto ascenditur sublimius. *Serm. 7. de 35. Apostolis.*
43. Sicut quanto quis plus ascendit, tanto (dum cadit) profundius ima petit: sic, quanto quis amplius descendit, tanto amplius sursum tendit. *Serm. 2.*
44. Quando cor terrenarum cupiditatum pondere aggravatur, sursum minime ascendere potest. In *Medit. vitæ Christi*, cap. 44.
45. Her tuum, voluntas est; amando ascendis, negligendo descendis. *De septem itineribus.*
46. Nisi quis Passionem Christi pro fundamento sibi constituerit; quanto altius ascenderit, tanto profundius se casurum noverit. *De perfect. charit., art. 44.*
47. In tenebris residemus, si promoveri cessamus. *Homil. 1. ad Monach.*
48. Si quotidie in cordibus nostris ponamus ascensus, nulla infirmitas, nulla ætate lassari possumus. *Ibid. Hom. 5.*
49. Quando in hoc seculo sumus, et de Egypto educimur, paulatim ascendimus. *Sup. Hieremiam*, cap. 2 in illud: *Qui ascendere nos fecit.*
50. Congrua ascensio est, cum prius est contemptus seculi, cui dantur æterna; secundus gradus est mansuetudo. *Prose.*
51. Inle mores temperat mansuetudo, et non est miles, qui prius pauper non fuerit.
52. Impossibile est enim secundum gradum ascendere, nisi primum ascenderit. *Sup. Math., cap. 5.*
53. Frustra velociter currit, qui priusquam ad metas veniat deficit. *Lib. 1. Moral. cap. 21.*
54. In cælum tanta ascensura creditur multitudo hominum, quanta multitudo remansit Angelorum. *Homil. 34. in Evang.*
55. Superiora amare jam sursum ire est. *Lib. 15. Moral. cap. 27.*

56. Nemo, infima deserens, repente fit summus. *Ibid. lib. 22, cap. 14.*
57. More viatorum nequaquam debemus aspicere, quantum jam inter egimus; sed quantum superest ut peragamus. *Ibid. lib. 22, cap. 5.*
58. Tutius ascendendo gradimur, si sic metimur ea quæ cernimus, ut etiam ea, quæ procedendo visuri sumus, percurrenda esse cogitemus. In *prolog. sup. 1 Reg.*
59. Humana mens sicut male elevata in infimis promitur, sic bene pressa in sublimibus levatur. *Libro 13. Moral. cap. 11.*
60. Mania superne civitatis nisi humiles non ascendunt. *Lib. 17. Moral., cap. 17.*
61. Solerter est intendendum, quod et ascensuri in imo se esse considerant, et casuri semper in præcipiti stant. *Ibid. lib. 29, cap. 9.*
62. Curvum cor est, cum ima appetit; dirigitur, cum ad superna sublevatur. *Ibid. cap. 11.*
63. Tanto magis corda hominum ascendere ad cælestia inveniunt, quanto se a cælestibus per elationis suæ immunditiam profectos vident. *Ibid., lib. 2, cap. 25.*
64. Primus ascensionis gradus, est timor Domini; secundus, pietas; tertius, scientia; quartus, fortitudo; quintus, consilium; sextus, intellectus; septimus, sapientia. *Homil. 19, super Ezech. in illud proverb. 9. Initium sapientiæ, timor Domini.*
65. Pudeat terrena concupiscere, et dorsa mentium ascendentibus præbere. *Hom. 31, sup. Evang.*
66. Tanto quisque gravius corruil, quanto antequam caderet, in conspectu Dei altius ascendit. In *Septem psalm. penitent. sup. psalm. 17, vers. 3.*
67. Quo charitas benigne descendit ad infima, eo valenter recurrit ad summa. In *Registr., lib. 1, indict. 9, cap. 24, ep. 24, ad Joann. episc. Constantinop.*
68. Qui nititur ad altiora ascendere, quid agit nisi ut crescendo decreseat; et ascendendo exteriùs, interiùs ad profunda descendat? *Ibid., lib. 7, indict. 2, cap. 110, epist. 110, ad Syagrium episcop.*
69. Ordinate ad ordines ascendendum est; nam casum appetit, qui ad summa loci fastigia postpositis gradibus, per abrupta quærit ascensum. *Ibid.*
70. Facile corpus levabitur in alta colorum, si non premat spiritum sarcina peccatorum. *Ser. primo de Ascens.*
71. Quanto sublimior ascensus est, tanto lapsus periculosior. Ep. *ad Demetriadem.*
72. Tandiu non relabimur retro, quandiu ad priora contendimus; ut tibi cœperimus stare, descendimus. *Prose.*
73. Nostrum non progredi, jam reverti est; si volumus non redire, currendum est. Ep. 1. *ad Demetriadem.*
74. Curre, festina; curre, ut non negligas; festina, ut celerius comprehendas. In *Regula monachorum*, cap. 30.
75. Raro per gradus dignitatis ascendit homo, quin multo gravius non descendat. In *Regula Monacharum*, cap. 15.
76. Grandis est difficultas de terris ad cælestia ascendere, facilius ruimus, quam conscendimus; in ascendendo enim grandis labor est, grandis sudor. *Prose.*
77. Si fuero in primo gradu, si in secundo, si in tertio, si in quarto, si in decimo; quid mihi potest, nisi ad summum pervenere?
78. Fac mihi scalam quindecim habere gradus; veni usque ad quartum decimum, nisi quintum decimum tenuero, quid mihi prodest quod ad quartum decimum veni?
79. Et si ad quintum decimum venero, et corruero; major ascensus, major ruina est.
80. Jejunium, primus gradus est ascensus; et non statim putemus, quod si jejunaverimus, conscendamus ad regna cœlorum; jejunia nos ducunt, sed sine jejniis non conscendimus ad regna cœlorum; sola non prosunt, cum aliis prosunt.
81. Secundus gradus ascensionis est, seculo renuntiare, nihil de seculo querere, terrena contemere; nihil est, solum terrena dimittere, sed et vitia animæ dimittere, grande est.
82. Si jejunavero (hoc est, si fuero in primo gradu) si dimisero possessiones (hoc est, si fuero in secundo gradu) quid mihi prodest, si rixosus sum, si iracundus sum, si detractor sum, si irvidus sum?
83. Arduus ascensus est, difficilis est, desperatio nascitur; noli desperare (o homo) in quinto decimo gradu, Dominus supra est, intuetur te, dat auxilium.
84. Si in primo gradu es, et videtur tibi grande esse spatium inter primum et quintum decimum; noli respicere gradum, sed cælum aspice.
85. Dominus incurvavit se propter te, humiliavit se, securus ascende. S. Hieronym., *sup. Psalm. CXLIX. Expos. 2, vers. 1. Ad Dominum cum tribularer, clamavi.*
86. Sunt quidam, qui dum volunt terminos excedere, et ad alta volitare, in ima merguntur. *Lib. 1, sup. Math., cap. 6, sup. illud. Respiciite volatilia.*
87. Nisi parva fuerint, magna eminere non pos-

DIONYSIUS
CARTHUSS. EUSEBIUS
EMISEN

GLOSS. IX

GLOSS. OCT

S. GREGORIUS
MAGNUS

HAYMO.

S. HIERON.

sunt; ad summa non scandimus, nisi per ima gradiamur. Post init. Procemii, sup. Ep. ad Ephes.

88. Magna gloria est, de imis ad summa scandere, de nihilo ad maximum pervenire, de limo ad cœlum, de servitute ad regnum. Sup. Epist. ad Rom., cap. 5, in illud: *Non solum autem, sed et gloriamur.*

HUGO A. S. VICT. 89. Si ascendere nosti per devotionem mentis, scias et descendere per exercitium boni operis; si nescis descendere, nescis conscendere. Sup. psalm. cxviii, cap. 72.

90. Quanto altior est ascensus, tanto periculosior est casus. Prosecc.

91. Omnis superbus tanto in imo est, quanto in altum se erigit.

92. Tantoque profundius labitur, quanto excelsius elevatur. In Regul. D. August., cap. 2.

93. Sicut per ascensum musicæ, frangis et elevas vocem: sic per ascensum et descensum virtutum, frangas et elevas mentem. Prosecc.

94. Frangas, descendens ad compassionem proximi; elevas, ascendens ad contemplationem Dei. Lib. 2, de Clavastro anima, cap. 22.

95. Quanto plus quis ascenderit, tanto perfectior erit. Lib. 5. Didasc., cap. 9.

96. Cum ascendendi semper sit voluntas, descendere tamen aliquando cogit necessitas. Ibid.

97. Ascendis, cum diligis, sursum pergis in charitate, qua charitas sursum ducit. Prosecc.

98. Ascende ergo, dum potes, quantum potes; nunquam nimis potes, ubi nunquam potes totum tuum. De Sacrament. lib. 2. Part. 13, cap. 8.

HUGO CARD. 99. Christi imitatores, quanto descendunt ad vilia et aspera, tanto ascendunt ad gloriam, et delicias Paradisi. Sup. Genes., cap. 28.

100. Tota vita iustorum est ascensus, et tota vita impiorum descensus est. Sup. I. Regum, cap. 1, in illud: *Et ascendebat.*

101. Sicut in cœlo sunt sex signa, per quæ ascendit sol, et sex per quæ descendit: sic in quolibet viro (præcipue spirituali) debent esse sex gradus, quibus ascendat ad Deum, et sex quibus ad sui cognitionem descendat. Prosecc.

102. Sex gradus, quibus ad Deum ascenditur: primus est exprobratio peccati; secundus est fletus; tertius est amaritudo poenitentiae; quartus est cautela peccati, ac resistentia; quintus est indignatio contra peccatum; sextus est charitas proximi.

103. Sex gradibus descenditur ad sui cognitionem; primus est consideratio sui; secundus est repressio pravorum motuum; tertius est consideratio propriæ infirmitatis; quartus est ponderatio peccatorum et beneficiorum Dei;

quintus est remorsus conscientie; sextus est consideratio naturalium defectuum. Sup. Ps. xviii.

104. Quanto major es, tanto magis submitte teipsum; et, cum ascenderit in altum, opus est ut tibi prospicias ne cadas. Homil. 4, de Verb. Isaie.

105. Festina quo tendis, quo properas perveni, currentis gressus non retrahat inimicus. Prosecc.

106. Veloces sequere, tardiores attrahe, pigros desere, fortiores fortiter imitare. Sermon. de fide, spe, et charitate.

107. Nemo repente fit summus; sed a minimis quisque inchoat, ut ad majora perveniat. Apud Div. Antonin., part. 4.

108. Grandes sudores perpetimur, ut ad cœlum conscendere valeamus. Lib. 2, de Summo bono, cap. 36.

109. Sæpe mens ad summa ab imis erigitur, et sæpe a summis ad infima pondere carnis inclinata reflectitur. Ibid. lib. 3, cap. 15.

110. Hæc est ascendendi via regia, ut, quicumque ad superiora ascendit, sua non negligat interiora. Proseccutio.

111. Ab exterioribus ad interiora redeat, ut ab interioribus ad superiora conscendat.

112. Ad superiora mens via est, in superioribus vero perpetua pax, imperturbabilis requies, et diuturna tranquillitas.

113. Assuescat ergo habitare in se, qui vult ascendere supra se. Part. 1, de Casio conubio, cap. 22.

114. Ascensionis initium est ut relinquo tua quo quietus tecum habites. Part. 2, serm. de S. Bartholom.

115. Ad celestis Hierusalem non ascendunt consortium, nisi qui toto corde proflitentur non proprii operis, sed divini esse muneris quod ascendunt. Sent. 31.

116. Ascendat humana ignorantia per fidem, ut mereatur fides videre quod credit. Ibidem, sent. 387.

117. Congruus ordo ascendendi ad Deum est, ab inferioribus studiis ad potiora tendere, et rursus ad pristinam infirmitatem humiliter se reflectere. Ser. 2, ad Frat. Divis. 2.

118. Nunquam ille bene iter ardui montis ascendit, nisi qui se ad inferiora tendit. Homil. 3, de Arca vita.

119. Arbor vitæ est in excelso, et ascendit ad eam humilitas. Lib. 5, libello 15, de Humilit.

SENTENTIE PAGANORUM.

120. Est ad virtutem multus ascensus, ut is gloria maxime excellat, qui virtute plurimum præstat. Orat. 31, pro Planicio.

S. JOANNES CHRYSOST.

S. ISIDORUS HISPALENS.

S. LAURENT. JUSTIN.

S. PROSPER.

THOMAS A KEMPIS.

S. VALERIAN.

CICERO.

SENECA. 121. Subsilire in cœlum, ex angulo licet. Ep. 31. 122. Vigilandum est; nisi properamus, relinquimur. Ep. 108.

Vide etiam tit. *Mundus*, sent. 100; *Perfectio*, sent. 2. *Pœnit.* sent. 199, 214; *Profectus*, sent. 6, 10, 13, 43: *Virtus*, sent. 56, 123.

ASCENSIO CHRISTI.

SENTENTIE PATRUM.

S. AMBROS. 1. Sicut aquila humilia deserit, alta petit, cœlorum vicina conscendit: ita et Salvator humilia inferni deseruit, Paradisi altiora petiit, cœlorum fastigia penetravit. Sermon. 62.

2. Non solum fidem firmat, sed etiam devotionem acuit, quod Christus vulnera suscepta pro nobis cœlo inferre maluit, abolere noluit, ut Deo Patri nostræ prætia libertatis ostenderet. Lib. 10, sup. Luc., cap. 24, in illud: *Palpate et videte.*

S. AUGUST. 3. Qui descendit, ait Apostolus, ipse est et qui ascendit; quis est descendit? Deus homo. Quis est ascendit? idem ipse Deus homo. Pros.

4. Quod pro te suscepit, levavit in cœlum, terrenumque corpus fecit cœlestē.

5. Regnat homo jam susceptus a Christo, ad dexteram Patris sedens: et, ut sui ab illo regnum accipiant, vocat, invitat, hortatur. Lib. 4, de Symbolo, cap. 7.

6. Ascendamus cum Christo interim corde, cum dies ejus promissus advenerit, sequemur et corpore. Sermon. 2, de Ascens.

7. Venit Christus, complentur in ejus ortu, vita, dictis, factis, passionibus, morte, Resurrectione, Ascensione, omnia præconia Prophetarum. Ep. 3, ad Voluntian.

8. Ubi et quomodo sit in cœlo corpus Domini, curiosissimum et supervacaneum est querere; tantummodo in cœlo esse credendum est. De fide et symbolo, cap. 6.

9. Dominus ascendit in cœlum, corpus autem non ascendit, sed levatum est in cœlum, illo levante, qui ascendit. De Agone christiano, cap. 25.

10. Solus Christus sine corruptione implevit uterum matris, qui solus pro nobis super colos ascendit, ut sederet ad dexteram Patris. Sermon. 2, in vigili. Nativitat.

11. Resurrectio Domini, spes nostra est; Ascensio Domini, gloria nostra est. Ser. 2, de Ascens.

12. Dominus Jesus Christus, dum humanam conditionem sideribus importavit, credentibus cœlum patere posse monstravit; et, dum victorem mortis in cœlestia elevavit, victoriosus quo sequantur ostendit. Ibid. Sermon. 3.

13. Ascensio Domini Catholicæ fidei confirmatio fuit, ut securi in posterum crederemus mira-

culi illius donum, ejus jam in præsentī percipissemus effectum. Ibid.

14. Dum audis elevatum, agnosce militiæ celestis obsequium, non auxilium; servitium, non subsidium; ministerium, non adjutorium. Ibid.

15. Nos Christi mors vivificavit, nos resurrectio erexit, nos ascensio consecravit. Ibid.

16. Triformis est ascensus Domini: victoriosus, quo ascendit super occasum; speciosus, quo ascendit super colos cœlorum; gloriosus, quo ascendit super pennas ventorum. In sententiis, cap. Triformis.

17. Ascendit Deus, Judæis insultantibus, deomonibus trepidantibus, Angelis jubilantibus, Apostolis admirantibus. Sermon. 4, de Ascens. sup. illud. Psalm. xlvii: *Ascendit Deus in jubilatione.*

18. Ascendit Christus, potenter, patienter, gaudent, decenter, clementer. Lib. 4, Compend. Theolog. verit. cap. 24.

19. Pulcherrimum est Patri spectaculum, filius æternus victor. In Orat. adhortat. ad Gentes.

20. Cum potentie cursum perficisset Jesus, et homines a peccatis redemisset, ascendit rursus in cœlo nube ipsum suspiciente; et Angeli quidem ascendenti assistebant, Apostoli vero aspiciabant. Catech. 4, de Ascens.

21. Non manufacto vehiculo, nec auxiliariibus carpentis, non vectoribus Angelis evehctus est Christus; sed natura divina propria sua virtute, carnem cœlo intulit, et corpus glorificatum Patris conspectibus presentavit. De Ascensione Christi, cap. 3.

22. Ascendit Christus ad cœlos, non ubi Verbum Deus ante non fuerat, quippe qui erat semper in cœlis, et manebat in Patre, sed ubi Verbum caro factum ante non sederat. Expos. sup. Symbol. Apost. cap. 18, in illud: *Ascendit ad cœlos*, et S. Hieron. Ep. 18, ad Rufin.

23. Ascensio Domini Catholicæ fidei confirmatio fuit. Hom. 2, de Ascens.

24. Christus moriendo docuit mortem non metui; resurgendo, docuit de vita confidit; ascendendo, docuit de celestis patriæ hereditate gloriari. Lib. 27. Moral., cap. 8.

25. Redemptor noster moriendo mortem superavit, eamque resurgendo consumpsit, et Resurrectionis suæ gloriam ascendendo declaravit. Hom. 29, sup. Evang. in illud: *Marci ultimo: Assumptus est in cœlum.*

26. Elias legitur in curru ascendisse, ut videlicet aperte demonstraretur, quia homo purus adjutorio indigebat alieno. Prosecc.

27. Redemptor autem noster non cœtu, non Angelis sublevatus legitur; quia is qui fecerat omnia, super omnia sua virtute ferebatur.

28. Ille etenim revertetur ubi erat; et inde rediit ubi remanebat.

29. Quia, cum per humanitatem ascenderet in cœlum, per divinitatem suam, et terram pariter continebat et cœlum. *Ibid.*

